



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs  
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

An vera fides sola esse possit. tit. 51

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

xitalios peccatores. Sic propter pœnitētiā Ezech.  
18. Sic Ioseph Matt. i. ob vitæ castimoniam. Sic paren-  
tes Ioannis ambo iusti, Luc. i. propter obseruantiam  
præceptorum Dei irrepræhensibilem. Sic Herodes  
sciebat Ioannem esse virum iustum, Marc. 6. quem &  
Christus commendat, Matth. ii. Non auditores legis,  
sed factores iusti sunt apud Deum, Roma 2.1. Cor. 15.  
Euigilate iusti, Hebr. ii. Abel propter hostiam conse-  
cutorus est testimonium, eum fore iustum. & 2. Petr. 2.  
Iustum Loth oppressum &c.

Quintò fides igitur in Christum cum obseruantia  
præceptorū Dei, est tota iustitia & integra hominis:  
hec si diuiseris, non est tota. Ideò vtrunq; præcipitur,  
fides & dilectio, 1. Ioann. tertio. Hoc est mandatum  
eius, &c.

Nota, fides illa externa, qua credo Christum na-  
tum, crucifixum, mortuum, resurrexisse &c. iuxta li-  
teram & historiam, sine dilectione & operibus pro-  
prijs, quæ circa fidem esse debent, non iustificat, neq;  
saluat. Credo Christū pro me natum, Lu. 2. sed & ego  
renasci debeo, Ioan. 3. Ego crucem meam portare de-  
beo post Christum. Mat. 10. Luc. 9. Ego mori ipse de-  
beo peccatis. Rom. 6. Resurgere cum Christo Colos.  
3. ad nouitatem vitæ. Oportet esse misericordem, sicut  
Christus inquit Matt. 5. iustum &c. Alioqui fides hæc  
historiæ de Christo, nihil proderit, nec iustificat, sed  
est inanis fides, 2. Pet. 1. Christus pro nobis passus est,  
vobis relinquens exemplum, 1. Pet. 2.

### *AN VERA FIDES SO-*

*la effe posse.*

### TITVLVS LI.

Rimò, Apostolus ad Galat. 5. dicit, qd'  
viues & vera fides est, quæ per dilectio-  
nem operatur. Et 1. Corinth. 13. inquit:  
Fides sine dilectione nihil prodest. Ad  
Rom.

Rom.3. Non separat obedientiam legis à fide, sed flauit. Ergò fides vera, sola, sine alijs virtutibus esse nō potest: alioqui non est vera fides viuens, sed mortua, Iacob 2.

Secundò, Deus non infundit solam fidem homini in baptismo, sine charitate, timore, &c. nam donat & infundit spiritum sanctum ad Tit. tertio, Acto. secundo, & simul omnes virtutes & fructus Spiritus sancti, Galat. 5. Quare virtutes dicuntur connexæ, ob id una non datur sine alia. Ratio: quia ad perfectam sanitatem animæ nedum requiritur fides, sed etiam charitas, timor, &c. si ergò Deus in baptismo solam fidem infunderet sine alijs, nō totum sanaret hominem secundum animam, contra illud Ioann. 7. Totum hominem sanum feci. Nam & charitas, timor, & cæteræ virtutes, perficiunt animam. Non ergò fides fructuosa est sine ceteris virtutibus.

Tertiò, quia fides, ex quo est fiducia, id est, spes consequendæ misericordiæ propter Christum & substantia sperandarum rerum, Hebr. 11. Quomodo poterit fides esse sine spe aut sola saluare, sine spe salutis consequendæ? Aut ubi est fides & spes, quomodo ibi non erit charitas? si deest, vana est fides & spes. Sunt ergo inseparabilia, fides, spes & charitas. Et Paulus 1. Cor. 13. iungit in præsenti vita fidem, spem & charitatem. Nunc (inquit) manent, scilicet indiuise, fides, spes & charitas, sed in futuro separabitur fides & spes, quia cessabit spes & fides, habito illo, quod credidimus & sperabamus.

Quartò, neque fides, neque spes, neque charitas iustificat, sed Deus, Roman. 8. Deus est qui iustificat Subinde, neque fides, spes & charitas nostra, est causa cur Deus nos, aut Christus iustificat, Roman. tertio, Iustificati gratis gratia ipsius. Media, per quam Deus iustificat, sunt, fides, spes, charitas, &c. Sacra-menta, obedientia legis. Marc. primo, Pœnitentia, & credi-

eredite Euangelio. Et vltimo : Qui crediderit & ba-  
ptizatus fuerit &c.

Quintò, quòd dicitur, Deus primò solam fidem infundit, & illa ante omnia opera iustificat. Subinde ex hac fide nascuntur cæteræ virtutes, charitas, dilectio, obseruantia præceptorum, &c. quæ sunt fructus fidei: quòd sola tamen præcedens fides iustificat, sine scripturis dicitur. Nullibi dicit scripture, quòd Deus primò solam fidem infundit, & quòd ex hac nascantur reliquæ virtutes. Nam charitas, timor, obedientia &c. sunt fructus Spiritus sancti, Gal. 5. Summa, sola fides nihil prodest, &c.

### *GRATIA DEI QVID SIT.*

#### TITVLVS LII.

Ratia capitul tripliciter : Primò, generaliter pro omni eo, quod habemus à Deo, siue corpus, siue vitam &c. Cor. 4. Quid habes quod non acceperisti?

Secundo, pro dono specialiter, id est, quòd naturaliter ex nobis adipisci nō possumus, sed donatur à Deo, ut donum Prophetæ, linguarum, &c. 1. Corinth. 12.

Tertiò, propriissimè pro dono, quo nos iustificat, id est, remittit peccata, dát Spiritum sanctum, vitam æternam. Hęc sunt magna dona, quandò sanctificat, iustificat, vitam donat æternam. Rom. 6. Gratia Dei vita eterna. Et sic gratiam solus Christus meruit suo sanguine, & non cadit sub merito humano. Roma. 11. Si ex operibus, gratia iam non est &c. Rom. 3. Iustificati gratia ipsius, & hęc est illa immerita misericordia, quæ exhibetur propter Christum. Porrò gratia ad sententiā Apostoli, est immerita misericordia Dei quā exhibet per media gratis propter Christum. Primo est ex operibus, iam gratia non est gratia. Roma. 11. sed meritum.

Secundum.